Cunradus ut de cetero denarios non dares sed panes precepit. Que panes multiplicabat ut prius. Unde postmodum precepit ei ut non nisi particulas panis daret. Ecce tam pio dolo in operibus misericordie preceptis magistri Cunradi obviavit saluo in omnibus obediencia. Unde cum vice quadam esset in tempore visitandi quendam heremitam et mandaret ei magister Cunradus ut rediret respondit nuncio: Nos similes sumus testudini que tempore pluuie se retrahit in domum suam. Sic nos ut obedire valeamus retrahamus nos a via quam ire cepimus.

(Capud XXIX.)

Tante perfectionis erat beata Elyzabeth, ut infantem suum qui annum et dimidium etatis habebat omnino a se remoueri iussisset, ne forte nimis eum diligendo affectu carnali prepedita a diuino abstraheretur seruicio. Que beata cum maxime iocunda videretur maxime flere cepit, ita ut eam videres simul flere et gaudere. Que eciam hanc graciam habebat, ut cum fleret nunquam faciem more lacrimancium deformaret, quia lacrime decurrentes ab eius oculis quasi de iocundissimo et indeficienti fonte fluebant. Unde de illis qui in fletu faciem rugant et exterminant dicere consueuit: Videntur tales